

Quodsi conjux in peccatum illud consentiret, maneret certe adulterium, ut liquet ex damnatione prop. 50^{ae} ab Innoc. XI: "Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum." Dissident aliquatenus AA. in ratione rem explicandi. Praeplacet sententia, quam inter alios tenet Ball. P. (tr. 8. p. 2. n. 7): manere injustitiam eo quod consensus ille est moraliter nullus, siquidem conjux caret potestate renuntiandi juri quod, ex ipsa matrimonii natura, est inalienabile. Ideo circumstantia hujus consensus non est in confessione exprimenda: quamvis hanc obligationem asserant Lugo (de Just. et J. disp. 8. n. 10) alique, eo quod in tali adulterio rationem injuriae contra conjugem cessare opinatur.

393. III. Incestus est congressus cum consanguinea vel affini usque ad quartum gradum.

Malitiae contra castitatem, in incestu, accedit gravis malitia contra pietatem. Praecipua ratio est, quod in copula carnali habetur quaedam turpitude contraria honorificentiae quam homo debet parentibus suis et per consequens aliis consanguineis qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahant. Alias rationes videsis 2. 2. q. 154 a. 9. Quod autem ad quartum gradum haec malitia extendatur, a lege ecclesiastica matrimonium ad hunc usque gradum dirimente repetendum est. Quare copula inter consanguineos ad matrimonium ineundum dispensatos probabilius non est incestus. (S. Alph. n. 452)

Probabile est non differre specie incestum cum consanguinea ab incestu cum affini, quia propter eandem rationem uterque prohibetur. Similiter probabile est non esse exprimendum gradum consanguinitatis vel affinitatis, excepto tantum primo gradu consanguinitatis vel affinitatis in linea recta, puta inter patrem et filiam, vitricum et privignam, etc. In primo enim gradu eoque tantum habetur motivum speciale ob quod commixtio carnalis prohibeatur, nempe reverentia parentibus a filiis debita, quae non est ejusdem rationis ac reverentia ceteris consanguineis vel affinibus debita. (S. Alph. l. 4. n. 448 seqq. et l. 6. n. 469 seqq.) Specialem etiam malitiam habet et ad incestum refertur copula cum consanguineo spirituali vel legali in gradibus matrimonium dirimentibus. (S. Alph. l. 4. n. 450)

394. IV. Stuprum est oppressio mulieris invitae. In stupro, ut per se liquet, gravis malitia contra justitiam committitur, sive mulier virgo sit, sive jam corrupta. Haec definitio differt ab ea quam antiquiores DD. e Jure Canonico (Causa 36. q. 1. c. 2) hauserant: "illicita virginis defloratio"; ex qua sequebatur ad stuprum non requiri vim, sed tantum integritatem virginalem. (2. 2. q. 154. a. 6) Praeferenda autem est prior

definitio, eo quod hic inquirimus de peccatis luxuriae specificè diversis in ordine ad confessionem. Jamvero, juxta sententiam probabiliorem (S. Alph. n. 443), copula habita cum virgine consentiente non addit gravem malitiam simplici fornicationi. Igitur virginitatis circumstantia non est accusanda a poenitente, nisi per accidens occasionem dederit gravi reatui, puta ob infamiam, vel parentum maerorem. (Ball. P. n. 79 seqq.)

V. Raptus est violenta abductio personae cujuscumque in alium locum ad libidinem explendam. (Bus. ap. S. Alph. n. 444)

Violentia illa inferri potest vel ipsi personae quae abducitur vel aliis quarum potestati ea subest, ex. gr. parentibus. Duplex est malitia raptus: una luxuriae, ob finem libidinosum; altera injustitiae erga personam raptam vel eos sub quorum custodia degit. Hinc moraliter spectatus, raptus magnam affinitatem habet cum stupro, a quo tamen discrepat eo quod in raptu non semper actu consummatur luxuriae peccatum.

IV. Sacrilegium est violatio rei sacrae, i. e. loci vel personae, per actum venereum.

De hac luxuriae specie sufficiunt quae n. 280 seqq. dicta sunt, ubi de sacrilegio, et Vol. II. n. 242 dicentur, ubi de ecclesiae pollutione.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

§ I. DE POLLUTIONE.

395. DEFINITIO. Pollutionem hic intellegimus plenam voluptatem veneream sine congressu cum alio habitam. In solis masculis puberibus eam comitatur seminis prolifici effusio. (n. 387)

ASSERTA. I. Pollutio directe voluntaria est semper intrinsece et graviter mala.

Attende eam esse *directe voluntariam*, etiamsi tantum intendatur ut medium ad finem a voluptate diversum assequendum, ex. gr. sanitatem, liberationem a gravi tentatione, etc. (n. 10) Praeterea notandum quae-

dam in argumentis mox afferendis non cadere in eos qui vero semine prolifico careant, sed etiam in istis malitiam pollutionis satis probari ex iis quae de inordinatione venereae delectationis, extra legitimi matrimonii usum, dicturi simus.

Pollutionem lege naturali prohiberi ex eo constat quod institutioni naturae adversatur. Nam, in ordine naturae, semen humanum destinatur proli per congressum viri et feminae in vase debito generandae; in pollutione vero semen effunditur extra hunc congressum ideoque positive excluditur finis a natura intentus. Gravitas autem hujus peccati inde patet quod notabiliter repugnat rei summi momenti, scil. ordini quem natura ad speciem humanam conservandam stabilivit. Si enim homines passim pollutioni indulgerent, facile a legitimi matrimonii usu, cui gravia onera annexa sunt, refugerent.

Ex his tamen non statim patet nullo in casu, etiam ad gravissima damna vitanda, licitam esse pollutionem. Ut demonstratur ista pars Asserti, simul attendendum est ad delectationem, seminis effusionem comitari solitam, quae adeo vehemens est " ut illam homines tamquam summum bonum prosequantur illique velut suae felicitati adhaereant. " (Sanch. de Matr. disp. 17. n. 16) Inde fit ut si haec libidinosa seminis effusio in aliquo casu licita foret, " evidentissimum esset periculum ut homo, passione libidinis excaecatus, passim sibi persuaderet causam effundendi justam adesse atque ita semen prodigeret indeque fornicationes, adulteria aliaque innumera luxuriae vitia adversus commune bonum pullarent. " (Sanch. ib.) (1) Neque obstat, ad vitam servandam licite abscindi ipsos testiculos: nam deest in tali abscissione illa vehemens delectatio quae seminis expulsionem naturaliter comitatur et morale periculum supradictum inducit. Cfr. Eschbach, op. cit. disp. 4. a. 1.

Si quid evidētia demonstrationis desit, id satis suppletur constante consensu DD. nullo in casu licitatem pollutionis admittentium, et damnatione prop. 49^{ae} inter reprobata ab Innoc. XI: " Mollities jure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali. "

396. II. Etiam in feminis datur pollutio quae a venerea voluptate incompleta specificē differat, ideoque in confessione distincte accusanda sit.

(1) Veteres DD., ut Sporer (Th. Sacr. p. 4. n. 641), asserunt pollutionem illicitam esse etiamsi ad vitam servandam necessaria foret. Attamen hypothesis ipsa videtur chimaerica, cum recentiores medici ad fabulas amandent illam corruptionem seminis e qua veteres hujusmodi periculum formidabant. Neque ullum serium incommodum sanitati timendum est eo quod nocturnae pollutiones vix umquam alicui contingant: summum aliqua molestia inde oriri poterit. (Capellm. op. cit. p. 78.)

Ita opinamur cum communi doctrina, etiam recentiorum (Eschbach, op. cit. p. 485; Palmieri, ap. Ball. P. n. 111; Lehmk. l. n. 873; Buccer. Th. Mor. I. de 6^o Praec. n. 58; Villada, Cas. Consc. t. III. p. 250 nota, etc.) contra paucos, omne discrimen specificum inter varias delectationes venereas, quas feminae sibi procurent, rejicientes, eo quod in pollutione feminea desit veri seminis effusio, quae in viro pollutionem ab incompleta voluptate venerea discriminet. (Lecomte, op. cit., p. 139 seqq. cui favet Ballerini, l. c.) Rationes sunt:

1^o Manet essenziale discrimen inter actus quibus mulier incompletam voluptatem et actus quibus completam sibi procurat. In his enim per se habetur voluptas vehementior et quae plene appetitum satiet, comitante fluxu humorum quos ad actum generationis juvandum natura disposuit. Quare actus hujusmodi physice completi sunt, neque ad actum licitum completum seu copulam conjugalem ordinari possunt, sicut fieri potest de actibus incompletis, quibus plena resolutio appetitus naturalis minime obtinetur.

2^o Plures veteres (n. 387. II.) verum semen prolificum in mulieribus non agnoscebant et nihilominus discrimen istud specificum admittebant. Quare non apparet sufficiens ratio, in recentiore scientia spontaneae ovulationis, ut a consensu communi recedamus in re quae potissimum a morali hominum existimatione pendet. Cfr. n. 162.

3^o Ut dicitur Vol. II. n. 547, sub levi tantum prohibentur uxoris actus impudici solitarii. Quare si admittatur istos non differre specie a plena voluptate quam mulier sibi procuret, etiam haec plena voluptas extra copulam sub levi tantum uxori prohibebitur. Hoc autem sine magno incommodo admitti nequit. Sic enim mulier conjugata poterit, absque gravi peccato, frui voluptate qua natura eam ad copulam allicit, numquam vero copulam habere, vel perstare in vitio solitario cui se ante matrimonium dedisset.

Attamen discrimen illud saepe non accusatur a poenitente; neque a confessario quaestiones de rebus maxime pudendis sine vera necessitate faciendae sunt. Sequi licet regulam a Bouvier positam (Diss. in 6^{um} Dec. praec. p. 76): " Tactibus aut motibus libidinis discrete cognitis, a pudibundis interrogationibus abstineat confessarius. " Recte scribit Berardi (Prax. conf. n. 851): " Dicente poenitente *me tetigi*, si constet quod vere malitiose se tetigerit, praesumendum est quod actum ad finem suum naturalem perduxerit; unde (sive de viris, sive de feminis agatur) interrogationes de re ista omitti posse dicerem. Verum est quod aliqui actum interrumpunt, etsi malitiose illum inceperint, sed exinde confessarii obligari nequeunt ut omnibus et singulis, qui se tetigisse confitentur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationes superaddant. "

Viget similis controversia, sed multo minoris momenti practici, de pollutione eunuchorum et impuberum. Jamvero, non obstante discrimine quod inter eos et masculos verum semen habentes viget, censemus in iis, ut in mulieribus, distinguendos esse actus completos ab incompletis. (S. Alph. n. 476)

397. III. Pollutio *indirecte tantum voluntaria* est peccatum mortale quotiescumque provenit e causa quae per se *graviter influit* in pollutionem ideoque dicitur per se peccatum grave in genere luxuriae. Nam qui talem causam sponte ponit, implicite vult pollutionem, eo fere modo quo implicite vult ebrietatem qui tantam vini copiam bibit ut praevideat se ebrium fore. (Sporer, Theol. Sacr. p. 4. n. 646) Excipe, si quis talem causam ponat ob necessitatem vel motivum grave, puta chirurgus qui tangeret partes pudendas mulieris ad morbum curandum: sic enim pollutio permittitur tantum ob motivum proportionatum, ideoque non imputatur, dummodo voluntas in voluptate non quiescat. (n. 14) Quodsi motivum insistendi alicui causae e qua, praeter intentionem et sine proximo periculo consensus, provenit pollutio, justa quidem est sed non sufficiens, quale foret studium curiosum artis medicae vel anatomicae, probabile est non peccari mortaliter: quia tunc neque expresse, neque interpretative videris in delectationem consentire, cum aliunde causam habeas cujus affectu operi incumbis. (Lessius, l. 4. c. 3. n. 118)

Duplex peccatum plerumque fiet ab eo qui ponit talem causam cum praevisione pollutionis secuturae. Sic qui, cum tali praevisione, tangit absque gravi causa alterius sexus verenda, praeter peccatum inchoatae fornicationis, contrahit malitiam peccati contra naturam. Attamen unum videtur committere peccatum qui pollutionem excitat aspectibus, qui non induunt malitiam specificam copulae cum persona quae aspicitur.

398. IV. Pollutio *indirecte tantum voluntaria* est peccatum veniale quando provenit e causa quae non nisi *leviter influit* in pollutionem ideoque vocatur peccatum per se leve in ratione luxuriae. Idem dicendum, si ponitur causa, etiam mortaliter mala, sed extra genus luxuriae, ut si quis se inebriat vel nimio cibo ingurgitat, praevidens ex hac intemperantia secuturam pollutionem. In hoc casu non fit peccatum mortale: quia pollutio nequit plene imputari voluntati, quae non posuit causam illius sufficientem, ac proin, saltem ex parte, rejicienda est in infirmitatem naturae. Venialiter tamen peccatur contra castitatem, quia levis inordinatio contra hanc virtutem est pollutioni occasionem dare per actionem ad quam nullum jus habetur. (Sporer, l. c. n. 649) De pollutione quam ebrius tactu impudico causet, cfr. n. 187.

Nullum autem peccatum est pollutio quae praevidetur secutura ex actione de se honesta et licita, si adest aliqua rationabilis causa necessitatis vel utilitatis vel commoditatis exercendi vel continuandi talem actionem. Quod valet non tantum de actionibus per se omnino indifferentibus, quales sunt equitare, gymnasticis exercitationibus vacare, temperate bibere vel manducare, commodo situ sedere vel cubare, etc. sed etiam de actionibus, quae, natura sua, essent levia peccata si absque causa rationabili fierent, ex. gr. aspicere vel legere leviter turpia. Ratio desumitur ex principio posito n. 14. Notandum autem non requiri causam gravem ut ponatur actio quae non ordinetur de se et proxime ad pollutionem, cum effectus iste pravus nullum vel valde exiguum detrimentum speciei humanae afferat; insuper innumerae sunt actiones alioquin licitae a quibus provenire possint vel soleant pollutiones ita ut, si requireretur causa urgens, daretur locus perpetuis scrupulis et anxietatibus. (Sporer, l. c. n. 650)

N. B. Hic semper abstraximus a periculo consensus in pravam delectationem. De obligatione abstinendi a talibus causis, ob hujusmodi periculum, judicandum erit ex iis quae de vitanda proxima peccati occasione dicentur Vol. II. n. 371 seqq.

399. V. Ut liquet ex Assertis III et IV, ad judicandum de reatu pollutionis *indirecte voluntariae*, determinandum est, quantum fieri potest, quatenus causae *graviter*, quatenus *leviter* in pollutionem influant. In hac determinatione facienda principaliter *ad naturam causae*, secundo *ad dispositiones agentis* respiciendum est. Igitur:

1º Utrum aliqua causa *graviter* an *leviter* in pollutionem *natura sua* influat, saepe sat facile cuique apparet. Sic profecto *graviter* influunt oscula in partibus inhonestis vel tactus immediatus et prolixus ad easdem partes personae alterius sexus, cogitationes morosae cum prava delectatione de rebus prorsus obscaenis, etc. *Leviter* vero influunt per se oscula in partibus honestis ex levitate data, sermones vel lectiones *leviter* turpes, potus excessivus, etc. At in multis casibus res non ita patet: in his praesertim attendendum erit ad intentionem, dispositiones ceteraque adjuncta agentis. Cfr. quae infra (n. 406 seqq.) de hoc difficili argumento fusius explicabuntur.

Multi AA. post S. Alph. (l. 4. n. 484) causas in pollutionem influentes in triplici gradu ponunt: graves, leves et mediocres. Attamen, ne impeditior fiat materia valde practica, praestat servare duplicem tantum partitionem, qua contenti fuerunt Sanchez, Sporer, Struggl aliique complures qui, ante S. Alphonsum, argumentum hoc egregie tractarunt. Recte notat Berardi (Prax. Conf. n. 874) has causas mediocres plerumque facile redigi ad seriem causarum *graviter* vel *leviter* moventium, ex

variis circumstantiis actus, praesertim ex mora et intentione qua agitur. Multa enim graviter delectationem veneream commovent si producuntur, leviter, si obiter fiunt, puta aspicere picturas obscaenas, oscula partibus honestis personae alterius sexus imprimere, etc. Saepe etiam propensio voluntatis, carnalem delectationem intendens, multum augebit vim appetitus sensitivi atque adeo corporalem commotionem: quae contra valde minuetur si agens, effectum omnino honestum intendens, conatur inferioris partis inclinationem et impetum retundere. (Ball. P. de Pecc. n. 179) Ex hoc discrimine explicari potest quomodo non raro DD. ab invicem discrepent in iudicio ferendo de causae alicujus gravitate vel levitate.

2^o Simul aliquatenus respiciendum est ad *condicionem et dispositionem agentis*. Constat enim influxum earundem causarum plurimum minui vel augeri pro aetate, complexionem, phantasiae vi, educatione, gradu virtutis, consuetudine res turpes audiendi, videndi, tractandi, etc. Qua de re haec duo animadvertisse juvabit:

a) Qui ob peculiarem infirmitatem aliamve subjectivam dispositionem semper aut fere semper patitur pollutionem ex causis quae per se nullo pacto vel omnino leviter in eam influant, probabilius (secluso proximo consensus periculo) non tenetur sub gravi ab iis ponendis abstinere. Ratio est, quod talis dispositio subjectiva nequit mutare intrinsecam illius actionis naturam. Igitur, si actio ista est simpliciter licita, poterit agens prosequi jus suum et effectum malum permittere; si leviter illicita est, non apparet gravis obligatio eam vitandi propter hunc effectum. (Buccer. Th. Mor. I. de 6^o Praec. n. 66) Communiter tamen AA. id intelligent tantum de causis quae omnino sint extra genus luxuriae, ut equitatio, vel omnino leves sunt in hoc genere, ut visus partium honestarum mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum femina non diuturnum vel leviter obscaenum. (S. Alph. n. 484) Haec restrictio, quamvis cum principio dato aegre concilietur, in praxi tamen servanda videtur: quia si quis, expertus se frequenter pollui ex causa quae tamen non videatur omnino per se gravis, puta e curiosa lectione turpi, curioso aspectu picturae obscaenae vel coitus animalium, tactu verendorum propriorum aut alterius ex levitate, etc. nihilominus pergat eam voluntarie et sine necessitate ponere, vix fieri poterit ut absit prava intentio vel proximum consensus periculum.

b) Qui ob aetatem senilem, frigidam complexionem, consuetudinem etc., expertus esset se nec pollutionem, nec motus venereos pati ex iis causis quae communiter recensentur inter graviter commoventes, per se non videtur graviter peccare dum eas sine necessitate ponit, ex. gr. aspiciendo pudenda personae diversi sexus cum voluntaria delectatione visus, delectando mere sensibiliter de tactu puellae, etc. Nam abest in

casu ratio formalis malitiae gravis. (Sanch. de Matr. disp. 46. n. 23: Salm. Th. Mor. tr. 26. c. 3, n. 12) Attamen is casus rarissimus erit, eo quod fere semper manebit periculum proximum turpis concupiscentiae vel accedet malitia scandali, cooperationis, etc. Cfr. S. Alph. nn. 416 et 421.

400. VI. De pollutione nocturna sufficient sequentia:

1^o Manifestum est nullam esse per se culpam in pollutione nocturna quae nullatenus fuerit praevisa, licet physica causa ob quam, durante somno, contingat, voluntarie posita fuerit. Jamvero saepe ita fiet. Nam apud masculos puberes semen perpetuo producitur et in vesiculis seminalibus aggeritur donec natura, ob nimiam quantitatem vel specialem excitationem, ad se exonerandam adducatur.

2^o Si quis sciens volens, sed absque directa pollutionis intentione, causam ponit e qua pollutionem nocturnam secuturam praevidet, applicandae sunt regulae modo datae de pollutione indirecte voluntaria. Hinc si causa est honesta, ex. gr. potus moderatus, nullum erit peccatum; si causa leviter influit, ex. gr. confabulationes leviter turpes, peccatum erit leve; si causa graviter influit, puta delectationes morosae de rebus obscaenis, peccatum erit per se grave. Quodsi causa leviter mala frequenter induceret pollutiones nocturnas, non constaret de gravi obligatione eam propterea omittendi, ut a fortiori concludere licet ex dictis de pollutione diurna (n. 399).

3^o Si quis evigilatur dum coepta est pollutio, non licet quidem eam conatu positivo prosequi (Tambur. Expl. Dec. I. 7. c. 7. §. 2. n. 18. seqq.), sed probabilius non est obligatio eam positive reprimendi, dummodo absit periculum proximum consensus in delectationem veneream: quod ut avertatur, commendant omnes ut ad orationem et sanctas cogitationes recurratur. Ita S. Alph. (n. 479) et multi veteres, ducti praesertim ista ratione: "quia non tenetur persona cum periculo morbi, ex semine corrupto retento, illam (pollutionem) impedire." Hypothesim seminis corrupti omnes recentiores rejiciunt. Sed alii, ut Capellmann (Med. Past. p. 77) affirmant obligationem ulterioris effusionis cohibendae; alii rectius eam negant, ex. gr. Surbled (*La vie sexuelle*, p. 30), eo quod semen illud postea certo cum urina expelletur; si autem tamdiu servatur, causa erit magnae excitationis et motuum venereorum.

401. VII. Ad reatum distillationis (n. 387) quod pertinet, ita distinguendum est:

1^o Qui studiose quaerit distillationem, generatim graviter peccat. Nam eam non quaeret nisi ob delectationem veneream quae saepe ei adjungitur.

2º Si quis praevidet e causa a se ponenda secuturam distillationem quam probabiliter comitetur delectatio venerea, ejus actio dijudicanda est e regulis de pollutione vel delectatione venerea indirecte voluntaria.

3º Si quis praevidet ex aliqua causa secuturam esse distillationem sine delectatione venerea, quamvis aliqua adsit naturalis commotio, nulatenus de ea curare debet, non magis quam de cujuslibet alius humoris emissione. Similiter dicendum si talis distillatio sequatur ex actione aliqua indifferenti vel leviter turpi. Cfr. S. Alph. n. 477.

N. B. Juxta Capellmann (Med. Past. p. 82), verum non est distillationem semper vel ut plurimum trahere secum aliquam seminis effusionem. Distillatio habitualis tamquam morbus a medico curanda est.

§ 2. DE SODOMIA.

402. Sodomia est peccatum quo, ex affectu ad indebitum sexum, vir concumbit cum viro vel femina cum femina. (2. 2. q. 154 a 11)

Perfecta dicitur quando vir concumbit cum viro ex affectu erga sexum virilem, semen effundendo in vas praeposterum. Vocatur vulgo "pédérastie" (παῖδός ἐραστῆς), quia saepe cum pueris peragitur.

Imperfecta dicitur quando inter personas ejusdem sexus non datur copula perfecta, ut si fit inter duas feminas vel etiam inter duos viros ita tamen ut pollutio extra vas peragatur; in his habetur formalis malitia sodomiae, scil. affectus carnalis ad sexum indebitum. Eodem nomine vocatur quando vir exercet copulam cum femina in vase praepostero: hic habetur tantum affectus carnalis ad vas indebitum.

Sodomia tum perfecta, tum imperfecta, specie differt a simplici pollutione. Similiter a perfecta et ab imperfecta priore loco posita differt ea quam posteriore loco posuimus: in hac enim habetur malitia prorsus diversa, vid. affectus ad vas, non ad sexum indebitum. Non videtur tamen specificiter differre perfecta ab imperfecta quae priore loco ponitur: quare, juxta S. Alph. (n. 466), non est necessario explicandum in confessione utrum pollutio fuerit intra an extra vas: "Sufficit enim confiteri *peccavi cum puero* ut confessarius judicet adfuisse sodomiam cum pollutione." At, sicubi reservatum est sodomiae peccatum, intelligenda est sola perfecta. Ideo sub reservatione ea tantum cadit quae fit inter mares et ita ut "non solum membrum viri immittatur in vas praeposterum, sed etiam quod intra illud seminet." (Salmant. tr. 26. c. 7. n. 109)

Cum malitia sodomiae potest jungi incestus, nempe si fit cum iis consanguineis vel affinis quibuscum copula sine incestu haberi nequeat. (S. Alph. n. 469)

Ubi vero deest concubitus, non habetur sodomia, saltem in actu. Hinc

simplicem pollutionem accusare debet qui se polluit tangendo puerum aut mulierem dormientem vel mortuam, aut doli incapacem: nam discrimen mere materiale est utrum fiat pollutio propriis an alienis, viri an feminae tactibus. Attamen, si cum alterius personae complicitate id factum est, explicandum peccatum cooperationis ad peccatum alienum. (S. Alph. n. 467)

§ 3. DE BESTIALITATE.

403. Bestialitas est concubitus hominis cum bruto. Malitia igitur peccati illius, quod in genere luxuria maximum est, reponenda est in accessu ad speciem diversam.

Ubi peccatum hoc reservatur, id intellegendum est tantum de casu quo plene perficitur, scil. ubi fit verus coitus et effusio seminis, sive in alvo, sive in alia quacumque parte corporis bruti. (Salmant. l. c. n. 140) Si fiunt tantum tactus impudici cum bruto sine coitu, etiam cum mutua pollutione, nondum habetur bestialitas proprie dicta. Attamen haec affective committeretur, si homo in tali pollutione foveret affectum carnalem ad brutum, non autem praecise ad delectationem veneream. Secluso igitur tali affectu, sufficere declarare peccatum pollutionis: nam circumstantia illa quod fuerit excitata pollutio tactu bestiae non excedit malitiam venialem. Cfr. Struggl, tr. 7. q. 4. n. 85; S. Alph. n. 474.

Convenit hodie inter physiologos coitum hominis cum bruto diversi sexus esse semper sterilem. Unde ad fabulas amandanda sunt monstra illa quae, veterum opinione, e tali congressu interdum nascantur. Hinc etiam confirmatur sententia S. Alph. (l. c.): non esse declarandum utrum coitum fuerit cum mare an cum femina bestia.

CAPUT III.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS.

§ 1. PRINCIPIA GENERALIA.

404. I. Graviter peccat qui directe quaerit delectationem veneream, etiam exiguam, vel qui in eadem sponte oborta voluntarie delectatur. Ideo in luxuria *directe voluntaria* non datur materiae parvitas.